



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 63. Summa apologiæ Bajanæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

„ac arte, quam ratione obtentas. Deus Sæc. XVI.  
 „Beatitudinem vestram diu Ecclesiæ A.C. 1569.  
 „suz fervet incolumen. Lovanii octa-  
 „va Januarii: anno millesimo quingen-  
 „tesimo sexagesimo nono.

Beatitudinis vestræ ad  
 oscula pedum.

§. LXIII.

*Summa apologiæ Bajanzæ.*

Porro Bajus in sua apologia admodum *Op. Bajl*  
 proluxa unice eo collimasse videtur, *p. 80.*  
 ut ostenderet, quod in sua doctrina sen-  
 sus vere Orthodoxus contineretur, jux-  
 ta quem ejus propositiones propugnari  
 possent, eoquod voces consonarent  
 sanctorum Patrum verbis, atque ipse-  
 met eas haud alio in sensu enuntiaf-  
 set, prout ipsemet Papa in sua Bulla  
 diserte testatus videbatur. Ceterum  
 huic apologiæ sequens est titulus: *sen-*  
*tentiæ per Sanctissimum Dominum Nostrum*  
*Pium V. Romæ Calendis Octobris anni*  
*millesimi quingentesimi sexagesimi septimi*  
*dannatæ: adjecta explicatione tum earum,*  
*quæ non tantum verbis, sed etiam in alio*  
*sensu expressæ sunt, quam in iis libellis*  
*habentur, ex quibus significantur excerptæ:*  
*tum quæ ad alium sensum torquentur,*  
*quam habent libelli; tum etiam quæ forte*  
*cuipiam non immerito videantur non sa-*  
*tis fuisse discussæ.*

Z 2

Eodem



Sæcul. XVI.

A.C. 1569.

Eodem anno die decima sexta Martii Bajus alteram, sed longe magis succinctam apologiam transmisit, rursus Simonettæ Cardinali inscriptam unacum epistola, quæ veluti præfatio est: verum hic Cardinalis jamjam morte ereptus erat, priusquam hæc scripta Romam pervenirent: porro Bajus in hac apologia præprimis hæc ad Simonettam perscribebat: „Id, quod scribere constitui, non tantum meam estimationem, sed etiam sanæ doctrinæ conservationem, necnon Sedis Apostolicæ honorem tangere videtur: his igitur rationibus unice adductus non me continui, quin rem paucis aperirem. Ante annos octodecim, cum primum cœpi publice, & quotidie juxta Petri Lombardi, & quorundam Scholasticorum institutiones sacram Theologiam in Scholis nostris profiteri, partim ob hæreticos, qui nihil audire volunt, nisi Scripturam sacram, & veterum dicta sanctorum, novam docendam methodum inveni, non nisi sacros Codices, & primorum sæculorum Patres secutus, quos hodierni etiam hæretici quodammodo venerantur: ad hoc me etiam induxit consortium cum optimo quodam, & eruditissimo viro Joanne Hessels, sacræ Theologiæ Professore, qui eandem docendi

„nor-



Sæcul XVI.  
A.C. 1569.

„normam sequebatur in lectione, quam  
„nunc plusquam octodecim annos con-  
„tinuos Deo me confortante quotidie  
„prosecutus sum, ut eo validius er-  
„rores impugnare possem. „

Pius V. Pontifex hæcse Baji a-  
pologias sine animi sui mœrore  
recepit, nec ægre tulit, quod tanti  
meriti Doctor sincera fide se vindicare  
niteretur: ut igitur eidem omnem que-  
rendi ansam eriperet, ejus opera novo  
examine subijci consensit: ergo omnes  
illius libri rursus Romæ sedulo discu-  
tiuntur, sed rursus Papæ iudicium con-  
firmatur: quapropter Pius V. hac de  
re Bajum sequenti diplomate per Car-  
dinalem Granvellanum ad Morillonium  
transmisso certiolem reddidit.

§. LXIV.

*Pii V. Pontificis diploma ad Bajum.*

„Dilecte Fili salutem, & Apostolicam  
„benedictionem. Quamvis ea,  
„quæ super libro, & propositionibus ad  
„nos missis per literas nostras Aposto-  
„licas sub plumbo superioribus diebus  
„decrevimus, atque statuimus, non sine  
„matura deliberatione, & consideratio-  
„ne a nobis decreta, statutaque fuerint,  
„quemadmodum & ipsius causæ gra-  
„vitas, & hominum alioquin de hac  
„sancta Sede Apostolica bene merito-  
„rum